

PASSIO ANTIQUIOR  
SS. SERGII ET BACCHI  
GRAECE NUNC PRIMUM EDITA

SS. Sergii et Bacchi martyrum publici iuris fecit Byeus noster, ad diem 7 octobris (1), Acta tum latina, tum graeca, quorum hoc est initium : *Imperante Maximiano tyranno, multus error hominum genus possederat*, et : Μαξιμιανοῦ βασιλευόντος τοῦ τυράννου, καὶ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ἀπάσης ὑπὸ βαθεῖ σκότῳ τῆς ἀσεβείας κειμένης. Praeter utrumque hunc textum, latinum graecumque, alium nullum cognoverunt Bollandiani, neque Allatius (2), neque Fabricius (3), aliive qui sanctorum Vitarum elenchis retexendis incubuerunt.

Exstat tamen et alter textus graecus, hucusque ineditus, qui sic incipit : Μαξιμιανοῦ τοῦ τυράννου βασιλευόντος πολλὴ κατείχετο πλάνη τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, quiue vel summatim perlegenti haud dubie apparebit nihil aliud esse nisi recensio, idiomate hellenico conscripta, Passionis latinae, primo loco in *Actorum Sanctorum* supra memorato tomo vulgatae.

Quam latinam Passionem et Papebrochius (4) et Byeus (5) graecae, quam prae manibus habebant, prorsus praestare existimabant, etsi rei veritate compulsi profitebantur nec ipsam esse omnis naevi expertem. Praeterea, cum sagaci indagatione textum latinum perscrutatus esset, iure merito sibi persuaserat Byeus eum fonte graeco derivatum fuisse, haud tamen ex illa recensione quae sub Metaphrastis nomine circumfertur, at ex alia incognita, quam ipse deperditam opinabatur, at quam hodiernus eventus ostendit ipsius tempore ex bibliothecarum latebris nondum erutam fuisse. Proin, quod isti licuit coniciendo innuere, iam fas est nobis omni seposita dubitatione palam asserere, nimirum SS. Sergii et Bacchi Acta latina, quae passim occurrunt in codicibus (6), fuisse translata ex antiquiore Passione graecae conscripta, quaeque et ipsa Metaphrasticae lucubrationis fons exstitit.

Quapropter visum est inter *Analecta* transferre hunc primigenium textum graecum Passionis SS. Sergii et Bacchi, non tantum ut integra sit materia procu-

(1) T. III, pp. 863 sqq. — (2) *De Symeonum scriptis diatriba*, p. 127. — (3) *Bibliotheca graeca*, t. X, p. 322. — (4) *Ephemerides graeco-moscae*, Maii t. I, in annotationibus ad d. 7 octobris. — (5) Octobris t. III, pp. 836-38, numm. 14-19. — (6) Cfr. exempli gratia *Catalog. cod. hag. bibl. reg. Bruxell.*, t. I, pp. 102, 110; t. II, pp. 184, 285; *Catalog. cod. hag. lat. bibl. nat. Paris.*, t. I, pp. 338, 473, 495; t. II, pp. 67, 260, 308.